

Band X., Nr. 4294, Seite 79-80

*Die Stadt Esslingen nimmt die Nonnen von Sirnau in ihre Vorstadt
Pliensau auf.*

Esslingen, 1292. November 17.

Presentium litterarum inspectoribus universis . . capitaneus, . . scultetus, consules et universitas populi de Ezlingen Constantiensis dyocesis rei notitiam subnotate. Celi et terre conditor suam ecclesiam edificans petram ecclesiastici ordinis posuit fundamentum, que siquidem ecclesia sacrosancte religionis basibus, id est virtutibus, maxime defenditur a ruina. Videte ne forte petra huius fundamenti perversorum tyrannide molliatur neve bases per laycam insaniam dissolvantur! Cum igitur nonnulli pro dolor iniquitatis filii manus sacrilegas contra venerabile monasterium puellarum de Syrmenowe ordinis sancti Augustini regiminis Predicatorum predictae Constantiensis dyocesis extendentes easdem puellas religiosissimas ab eodem monasterio in scissuram petre ac basium prefatarum multis vicibus expulerint violenter et expulsas in totius ecclesie scandalum coegerint miserabiliter exulare, nos periculo tam abhominabili saltem in premissis casu sollicitate occurrentes predictas exules revera in subsidium orthodoxe fidei ylariter invitavimus consensu et unanimi voluntate et invitatas ac preurbium prefati opidi de Ezlingen dictum Blinzowe utpote ad locum tutum auctoritate privilegiorum a sede apostolica ordini concessorum nec non pretore nobili viro domino Hainrico de Isenburch vices serenissimi domini nostri Adolphi dei gratia Romanorum regis gerente introduximus confidenter atque in fundis monasterio memorato ibidem proprietatis tytulo pertinentibus in nomine domini locavimus introductas, cum predicto loci preside seu quasi domino communiter ob prefate sedis reverentiam annuentes, ut liceat antedictis puellis novum opus erigere ac monasterium divinis aptum obsequiis cum aliis mansionibus necessariis construere in fundis prefatis super fundamentum, quod est dominus Jesus Christus, plerumque ut liceat ipsis ac omnibus eis succedentibus in eodem monasterio iuxta gratiam et continentiam privilegiorum sedis apostolice predictorum perpetim remanere. In cuius rei evidentiam presens instrumentum nostre universitatis sigillo fecimus communiri.

Datum Ezlingen, anno domini MCCXC secundo, quintodecimo kalendas Decembris, indictione VI.

II

Der Textabdruck folgt dem Original.

Siegel s. WUB, Bd. V, S. 189, Nr. 1424. Die Urkunde ist nicht in der städtischen Kanzlei geschrieben.

Überlieferung und Publikationen

Lagerort:

StA Ludwigsburg

Signatur/Titel des Originals:

B 175 U 44

Regesten:

ADOLF DIEHL (BEARB.): Urkundenbuch der Stadt Esslingen, 2 Bde., Stuttgart 1899-1905 (Württembergische Geschichtsquellen 4 bzw. 7), Bd. 1, S. 99, Nr. 249.

Weitere Angaben

Sprache:

Lateinisch

Ausstellungsort:

Esslingen

Ortsindex:

Eisenburg, Memmingen, MM

Esslingen am Neckar Wohnplatz (331)

Esslingen am Neckar, ES

Konstanz Wohnplatz (14442)

Konstanz, KN

Pliensauvorstadt Wohnplatz (344)

Pliensauvorstadt, Esslingen am Neckar, ES

Sirnau Wohnplatz (347)

Sirnau, Esslingen am Neckar, ES